



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censuris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO IX.

Ex consil. 9. aliis 8. de regular.

9 **R**egularis professus, & post promotionem ad ordinem Diaconatus ob sua delicta ab ordine eiectus, & habitus ordinis exutus, si delicta, ob quae eiectus ab ordine fuit, irregularitatem, aut aliam inhabilitatem non inducunt, super quibus Episcopus dispellere nequit, ab Episcopo diecesano originario recipi, & presbyterio ordinari potest, dummodo sufficiens patrimonium habeat, & erate, literatura, & moribus postea idoneus repertus fuerit, sublata prius inhabilitate, si quam habeat, quam Episcopus potestate sua ordinaria tollere poterit; si vero eiectus sit ab ordine ob delictum inducens irregularitatem, a qua Episcopus absolvere non potest, post dispensationem a Papa obtentam, (si antequam eijceretur non fuisset cum illo dispensatum super ea per ordinis sui privilegia, quae communiter religionibus conceduntur, ut possit superiores earum dispensare cum subditis suis super omni irregularitate, excepta illa, quae ex homicidio voluntario, & mutilatione, ac bigamia oritur.) illum similiter Episcopus originis promovere potest.

DECISIO X.

Ex consil. 3. in Novis, deest in antiquis.

10 **P**roviusus de Curato, sed nulliter ob defectum aetatis, nec promovendi se faciens ad presbyterium, nec horas Canonicas recitans, credens tamen quamvis falsò, se & ad horas, & ad promovendum teneri, non solum peccat acceptando collationem, & possessionem, sed etiam omittere horas, nec promovendi se faciendo. Quamvis enim verè nò teneatur ad horas, nec promovendi obligetur qui beneficium possidet curatum, de quo nulliter est proviusus, propter erroneam tamen conscientiam, falsò putans se ad horas, & ad promovendum teneri, si id non praestat, duplex peccatum committit.

TITVLVS IX.

De Sacra Vnctione.

S V M M A R I V M.

1 **C**hrisma, quamvis ex oleo, & balsamo fieri debeat, oleum tamen de sola Sacramenti essentia est.

DECISIO I.

Ex consil. unico tam in antiquis, quam in Novis.

1 **Q**uamvis Chrisma ex oleo, & balsamo mixta materia confirmationis sit, ita ut graviter peccaret Episcopus, qui ex solo oleo id conficeret, solum tamen oleum eius materia substantialis, & essentialis est, admixtio autem balsami de precepto tantum est, ut ait S. Thom. 3. p. q. 7. art. 1. & 2. Caj. ibi. & Sor. 4. d. 7. art. 2. Sic ut in simili, materia substantialis calicis solum vinum est, quamvis ei aqua ex precepto misceri debet; ideoque Confirmatio solo oleo facta tenet, nec iteranda est, sed supplenda, ca. r. de sacram. non iterand. ca. r. de sacra unct. & constat ex Nau. in Man. cap. 2. l. num. 8. quae suppletio defectus balsami, per solam linitionem balsami faciendae non est, sed eadem oratione, & iisdem verbis, quibus ipsa Confirmatio siue confirmatio fit, fieri debet; nec tamen propterea fit iteratio sacramenti, quia ad sacramenti reiterationem non sufficiunt materia, & verba sine intentione debita conficiendi sacramentum, non conficiatur illud ex S. Tho. 3. p. q. 64. art. 8. & ita cum secunda linitio non fiat intentione ministrandi sacramentum confirmationis (eo quod confirmatio etiam sine balsamo facta, valida est,) sed solum supplendi defectum eius, quod illi iam ministrato defuit non potest, nec dici debet iteratio, sed suppletio.

TITVLVS X.

De Sacramentis non iterandis.

Hic titulus deest in antiquis.

S V M M A R I V M.

- 1 **D**iaconatus ordinem sumens, si non accipit, nec tangit librum Evangeliorum, in cuius traditione imprimitur character, ordinem non accipit.
- 2 **V**estes de essentia, & substantia ordinum, non sunt, unde illarum defectus, vel mutatio nihil nocet.
- 3 **C**haracterem alicuius ordinis, qui ob defectum intentionis suscipiens vel Ministri, non suscipit, de licentia sui Episcopi, vel Papa, potest illum clam suscipere ab alieno Episcopo, ubi sit incognitus.

TITVLVS I.

Ex consil. 3. in Novis, deest in antiquis.

1 **D**iaconus ordinatus absque contactu libri Evangeliorum, cuius traditione character verè suscipitur, Diaconus non est, cum illius libri traditio de essentia, & substantia ordinis Diaconatus sit; adeo ut si talis postea ordinetur Sacerdos, hanc intentionem conditionalem habens, Nolo suscipere Sacramentum si non sum Diaconus, utique Sacerdos ordinatus non est, cum intentionem actualem haberit non accipiendi illum, si non erat Diaconus, unde & Diaconatum, & Presbyterium iterum si ne vlla dispensatione accipere potest, modo in eis non ministraverit: Tunc enim a Papa dispensatio habenda erit, ut duobus ordinibus prefatus Diaconus, & Presbyterij ordinari possit. Arg. ca. 1. de cler. non ord. minist. & Nau. in Manic. 27. num. 242.

DECISIO II.

Ex consil. 5. in Novis, deest in antiquis.

2 **E**xplicitam intentionem habens ordines suscipiendi, dubitando tamen an per actiones, & verba Episcopi conferrentur ordines, eo quod aliquae ex solitis sacris vestibus ex incuria ei in tali ordinatione defuerint verè ordinatus est, cum vestis de essentia ordinationis non sit, nec scrupulus ille collationem impedire potest.

DECISIO III.

Ex consil. 7. in Novis, deest in antiquis.

3 **Q**ui ob defectum intentionis suscipiens, vel Ministri, characterem alicuius ordinis non suscipiunt, ad hoc ut iuste, & rectè ordinati reputentur, ad utendum ordinibus susceptis, qui eis defuerint, ne bis ordines suscipiant, & irregularitatem contraxissent, accedentur, ordinariorum suos clam adire debent, eisque sacramentaliter confiteri, ne revelare possint, ab eisque, vel a Papa licentiam petere, ut illos clam ab alieno Episcopo longe distante, ubi sunt incogniti, suscipere queant.

TITVLVS XI.

De filijs presbyterorum.

S V M M A R I V M.

- 1 **F**ilius natus in figura matrimonij, iuste credere potest se esse legitimum, ad hoc ut ordinari possit.
- 2 **I**llegitimus bona fide ordinatus, non est suspensus.
- 3 **I**llegitimus sine dispensatione incapax est beneficij.
- 4 **I**llegitimus factus religiosus ordines sacros sumere, & beneficia manualia habere potest, non autem prelaturarum.
- 5 **C**ommenda perpetua dat titulum legitimum, non sic temporalis.
- 6 **D**ispensatio ad beneficium per Commendam perpetuam expirat.
- 7 **D**ispensatio Comitis Palatini cum illegitimo, ad ordines, aut beneficia non extenditur.
- 8 **D**ispensare etsi consetur Papa, quando facit aliquid contra